



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum requiratur scientia totius sacræ Scripturæ? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

scientia nitere quo ad Deum, & bona fama quoad homines.

Ad tertium dicendum, quod aliquæ medicinæ sunt quæ exigunt robur naturæ, alias cum periculo mortis affluntur; & aliæ sunt, quæ debilibus dari possunt. Ita etiam in spiritualibus quedam sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati: & talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut baptismus, & paenitentia: alia vero quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum.

## A R T I C. II.

Vtrum requiratur scientia totius sacrae Scripturae?

146

A secundum sic proceditur. Videatur, quod requiratur scientia totius sacrae Scripturæ. Quia ille debet habere legis scientiam, à cuius ore lex requiritur. Sed laici legem requirunt de ore sacerdotis, vt patet Malach. 2. Ergo ipse debet totius legis habere scientiam.

¶ 2 Præterea, 1. Pet. 3. Parati semper ad satisfactionem, omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, fide & spe. Sed reddere de his rationem quæ sunt fidei, & spei, est illorum qui perfectam scientiam sacrarum Scripturarum habent. Ergo talem, scientiam debent habere illi qui ponuntur in ordinibus quibus verba prædicta dicuntur.

¶ 3 Præterea, Nullus congrue legit quod non intelligit quia legere & non intelligere, negligere est, vt dicit Cato. Sed ad Lectorem (qui est quasi infimus ordo) pertinet verus Testamentum legere, vt in littera dicitur \*. Ergo ad eum pertinet habere totius testamenti testamenti intellectum, & multo fortius ad alios superiores ordines.

SED contra est, quod multi promouentur ad sacerdotium, qui penitus de talibus nihil sciunt, etiam in religionibus multis. Ergo videtur, quod talis scientia non requiratur.

¶ Præterea, In vitis Patrum legitur, aliquos similes monachos ad sacerdotium promotos, qui erant

*Mag. li. 4  
Sent. dis.  
24. §. D.  
et habe-  
tur in De-  
cret. d. 25  
c. 2. ex 1/2  
doro in  
epist. ad  
Ludifre-  
dam.*

T 4 sa-

sanctissimæ vite. Ergo non requiritur prædicta scientia in ordinandis.

RESPONDEO dicendum, quod in quolibet actu hominis, si debet esse ordinatus, oportet quod ad directio rationis: vnde ad hoc quod homo ordinis officium exequatur, oportet quod habeat tantum de scientia, quod sufficiat ad hoc, quod dirigatur in actu ordinis illius. Et ideo etiam, talis scientia requiritur in eo qui debet ad ordines promoueri, & non quod vniuersaliter in tota sacra Scriptura structus: sed plus vel minus secundum quod ad plura vel pauciora se eius officium extendit; vt scilicet illi qui alijs præponuntur, curam animarum succipientes, sciant ea quæ ad doctrinam fidei & mortis pertinent, & alij sciant ea quæ ad exequitionem ordinis spectant.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos habet duos actus: unum principalem, supra corpus Christi verum; & alterum secundarium, supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet a primo, sed non conuertitur. Et ideo aliqui ad sacerdotium promouentur, quibus committitur primus actus tantum, sicut religiosi, quibus cura animarum committitur: & a talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant: & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea quæ ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alij autem promouentur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum: & à talium ore populus legem requirit, vnde scientia legis in eis esse debet: non quidem ut sciant omnes difficultates questiones legis, quia in his debet ad superiores cursus haberi; sed ut sciant ea quæ populus debet credere, & obseruare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet Episcopos, pertinet ut etiam ea quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant: & tanto magis, quanto in maiori gradu collocantur.

Ad secundum dicendum, quod ratio reddenda est

fide & spe, non est intelligenda talis, quæ sufficiat ad probandum quæ fidei, vel spei sunt, cum utrumque de inquisibilibus sit: sed ut sciant in communi probabilitatem virtusque ostendere; ad quod non requiriatur multum, magna scientia.

Ad tertium dicendum, quod ad lectorum non pertinet tradere intellectum sacræ Scripturæ populo, quia hoc est superiorum ordinum; sed solum pronuntiare: & ideo ab eo non exigitur, quod tantum habeat de scientia, qua sacram Scripturam intelligat, sed solum quod recte pronuntiare sciat. Et quia talis scientia de facilitate addiscitur à multis, ideo probabilitate estimari potest, quod ordinatus talem scientiam acquirat, si etiam tunc, eam non habeat; maxime, si in via ad hoc esse videatur.

## ARTIC. III.

*Virum ex merito vita aliquis gradus ordinis consequatur?*

147

A D tertium sic proceditur. Videtur, quod ex ipso merito vita aliquis ordinis gradus consequatur. Quia sicut dicit Chrysost.<sup>\*</sup> Non omnis sacerdos, sanctus est; sed omnis sanctus sacerdos est. Sed ex merito vitae aliquis efficitur sanctus. Ergo sacerdos, & multo fortius, alios ordines habens.

<sup>\* hom. 43</sup><sup>in Matt.</sup><sup>in opere</sup><sup>imperse-</sup><sup>titus, non</sup>

¶ Præterea, In rebus naturalibus ex hoc ipso ali- procul à  
qui in gradu superiori collocantur, quod Deo appro- princ. p. 2  
pinquant, & magis de eius bonitatibus participant: † c. 4 p. 3  
v. Dionys. dicit 4. cap. eccles. hierar. Sed ex meri- in tit. Cō  
to sanctitatis, & scientiae aliquis efficitur Deo pro- templatio,  
pinqior, & plus de eius bonitatibus recipiens. Ergo circa me.  
tum hoc ipso in gradu ordinis collocatur. illius.

SED contra, Sanctitas semel habita potest amitti. Sed ordo semel habitus, numquam amittitur. Ergo  
ordo non consistit in ipso merito sanctitatis.

RESPONDEO dicendum, quod causa debet esse proportionata suo effectui: & ideo sicut in Christo, a quo descendit gratia in omnes homines, oportet quod sit gratiae plenitudo; ita in ministris Ecclesiæ,